



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

7. Decembris. Hostis ille noster nullâ re magis charitatem extinguit, quàm immodico, & inconsiderato in virtute progressu. S. Ignat. epist. ad Hispan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

litur ille, in nostri perniciem molitur. Tu consiliis ejus semper esto contrarius.

Vivendum est in armis; nunquam hæc ponenda sunt; nullum ibi crede fore armistitium, ubi diu, noctûque in tua vigilat damna inimicus, nunquam non machinas admoveret allectrices. Has fugisse, vicisse est.

Qui procul à Jove, procul est à fulmine; quantò remotior abis à suggestionibus inimici, tantò certius tua vitas pericula; præstat perire non posse, quàm hosti colludere. Fuge? salvaberis.

7. Decembris.

Hostis ille noster nullâ re magis charitatem extinguit, quàm immodico, & inconsiderato in virtute progressu. S. Ignat. epist. ad Hispan.

UT saburra contra ventorum levitatem navem munit, mergit immodica; ut oleum, si moderatè affluat, flammam alit; extinguit, si absque mensura affundatur; ita moderatio virtutis est parens, indiscretio verò noverca.

Sæpe putatur pietatis, qui superbiæ partus est, latentis quidem sub specie fervoris,

Qs

ris,

ris, nocentis tamen. Immodicus ille conatus suam frequenter, non Dei gloriam, aucupatur. Extraordinariai, periculosa sunt.

Qui grandes in via virtutis fecisset progressus, si moderatione duce, lento passu, sensim sinè sensu promovisset gradum, is inconsulto cursu sibi remora factus, hæret, ut qui nimium voluit, jam nihil possit.

Ingentia cœlo damna, orco lucra imprudens fervor parit; quantum enim animabus prodesse potuisset, tantumdem solatii additur orco, demitur cœlo. Etiam bonâ mente, nisi hæc discretionis subit legibus, multum errari potest.

8. Decembris.

Plus Maria dolet Unigenitum peccato offendi ab hominibus, quàm doluerit, eundem crucifigi. S. Ignat. apud Nadasi. in an. Mar. n. 670.

UT nulla soli cum tenebris, ita nulla Mariæ cum peccato, seu actuali, seu originali communio: perpetua inter hos oppositio.

Ut causa causæ, est causa causati, sic crucifixionis Christi causa, est peccatum, quam toties repetis, quoties peccas; & hoc quanto Mariæ dolore?